

CONGREGATUR, ET EJUS SENTENTIA CONFIRMATUR. Item quest. 11. art. 2. ad 3. universalis Ecclesie auctoritas principaliter residet in summo Pontifice: dicitur enim c. 24. q. 1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitrari omnes fratres nostros & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis auctoritatem referri debere, contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Aug. nec aliquis sanctorum Doctorum suam sententiam defendit. Unde dicit Hieron. ad Damasum Papam: haec est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, &c. ut retulimus §. praeced. Haec plana sunt & aperta, nec nos clarioribus terminis sententiam nostram exponimus. Nihilominus

Respondent pontificis infallibilitatis oses post Gersonem, & Thomam concedere Pontifici supremam & plenam potestatem Ecclesiasticam respectivè ad singulos fideles & particulares Ecclesias, non respectivè ad totam Ecclesiam. Sed contra. Non est nunc questio de potestate ecclesiastica Pontificis in universum, de qua art. subsequè licet aperte exprimat hic S. Th. eam esse supremam & plenam respectivè ad totam Ecclesiam, Toti Ecclesiae praesertim, inquit; sed est questio de eius infallibilitate: formalissimè autem docet S. Doctor, quòd Ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertineat edere Symbolum fidei, & finalitèr determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

At inquit, per solam intelligit S. Doctor praecipuam. Pec fidem unumquodque quàm To solam interpretatur est praecipuam: si praecipua, non sola; si sola, non praecipua. Dum dieo: ad solam auctoritatem Regis pertinet condere leges pro toto regno: quis fingit me per solam intelligere praecipuam? Neque juvat, quòd S. Th. id arg. sed contra dicat, Symbolum esse auctoritate universalis Ecclesiae editum: norunt enim omnes, apud D. Th. levis esse ponderis probationem desumptam ex argumento sed contra; sed nec negamus Symbolum esse Ecclesiae auctoritate editum; verum juxta S. Doctorem auctoritate mutata a summo Pontifice, qui praesertim Toti Ecclesiae, & ad cujus solam auctoritatem pertinet edere Symbolum, congregare & confirmare Synodos generales, & generè omnia, quae pertinent ad totam Ecclesiam. Sed quid moramur in hac violenta interpretatione resellenda? cum habeamus S. Th. illam disertè excludentem: „Sicut posterior Synodus, inquit q. 10. de pot. a. 4. ad 13. potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem; ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, & a quo sententia Synodi constituitur, & ad ipsam a Synodo appellatur; quae omnia patent ex gestis Synodi Chalced. Nec est necessarium, quòd ad ejus expositionem faciendam universale Concilium congregetur. Ad solam ergo, ADSOLAM, & non tantum ad PRÆCIPUAM in generali Concilio, summi Pontificis auctoritatem pertinet ordinare Symbolum fidei, & finalitèr determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

Haec subodorati sunt perspicacissimi Theologi. Unde tandem concludunt, quòd, si S. Th. concesserit summo Pontifici infallibilitatem absolutam & independentem ab Ecclesiae consensu, liceat ipsis in Doctrina Patrum, qui antecesserunt, & in posterioribus Conciliis Constantiensis decretis tuto quiescere, ergone S. Th. In doctrina Patrum coecit, is, cujus innoxia laus est, quòd SS. Patrum os fuerit, & omnes in se quasi uno transluderit? S. Th. inquam, de quo celeberrima Parisiensis Academia in Decreto, sub Stephano Episcopo Parisiensi edito, haec canit: „Dignus Thomas fuit universae Ecclesiae lumen praefulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, UNIVERSITATIS NOSTRAE SPECULUM CLARISSIMUM & candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitae & scholae doctrinae sanae ingrediantur, lumen vident.“ Pura non urgeo. De Concilio Constantiensi dicam art. subsequè.

§. IV. Probatur conclusio ex Concilio, & Pontificibus.

DE Concilio Sardicensi vide art. 3. praecedentem Probatur. 2. & Obj. 4. De Concilio Ephesino ibidem probatur. 2. vidimus, quòd Patres coacti per Epistolam Caesarii Papae sententiam in Nestorium dixerint.

Idem Coelestinus in communitario, seu instructione data suis Legatis eunibus ad Concilium ipsis praecipit, ut Sedis Apostolicae tuerentur dignitatem, nec se Episcoporum dissidiis immiscerent, quorum quippe iudices esse deberent.

Ita apud Christianum Luptum varior. Patrum Ep. c. 226. Cuidam recentiori placuit addere interpretando, cum Synodo uique, sed Glossae obstant verba sequentia, ad disceptionem si fuerit deventum, vos de eorum sententiis judicare debetis, non subire certamen. Idem Coelestinus in Ep. ad Synodum congregatam, refertur Act. 2. p. 618. dicit: „Diximus pro nostra sollicitudine sanctos Fratres Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui eis, quae aguntur, intersint, & quae a nobis antea statuta sunt, exequantur. Quibus praestandum a vestra Sanctitate non dubitamus assensum, quando id, quòd agitur, videatur pro universalis Ecclesiae securitate decretum. Qua Epistola perlecta, omnes Reverendissimi Episcopi simul acclamaverunt: HOC JUDICIUM JUSTUM EST. Tum ibidem Projectus Reverendissimus Episcopus & Legatus dixit Patribus, ut, quae Coelestinus, & eundem antè defuisse, & nunc in memoriam revocare dignatus est juxta communis fidei Regulam, Catholicæque Ecclesiae utilitatem, ad finem numeris omnibus absolutum deduci jubentis. Firmus Episcopus Caesariae, nomine Concilii respondit: Apostolica & S. Sedes Coelestini sanctissimi Episcopi... de praesenti negotio Sententiam dixit, Regulamque praescripsit, quam nos quoque secuti Executioni mandavimus canonicum, apostolicumque iudicium in illum (Nestorium) proferentes.

Quidam vim faciunt in his ultimis verbis: Canonice Apostolicumque iudicium proferentes; & ex eis colligunt sententiam Coelestini non habitam fuisse a Concilio infallibilem, sed ejus iudicio canonico & apostolico fuisse subiectam. Quasi vero iudicium in executionem legis, seu decreti infallibilis non possit dici canonice & apostolicum. Verum aliud vehementius urget, nempe Epistolam Cyrilli ad Nestorium, quam solenni iudicio expressè probaverat Coelestinus, deductam fuisse ad Synodi exomen & iudicium, ipso Cyrillo praesente a Synodo, rectè & incolpatè, sanctoque illi Concilio conveniènter haec scripsit: „An scitis: Nunquam autem, inquit; ita quaesivim, aut interrogatum est post ultimum & irrefragabile de fide iudicium; id enim esset de ipsa fide declarata, & explorata dubitare, & tamèn id post Coelestini iudicium factum est.

Hinc Instantia, quam putant invincibilem, R. 1. Neg. dictam Cyrilli Epistolam ad Nestorium fuisse iudicio solenni, & ut dicimus, ex Cathedra expressè a Coelestino definitam & approbatam: totum enim solemne Coelestini iudicium his circumscriptis verbis in Epistola ad Cyrillum: „Quamobrem nostro Sedis auctoritate adscita, nostraque vice & loco, cum potestate usus ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris, nempe, ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostro administrationis die memorandorum, aeternam doctrinam istam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana & tua Sanctitatis Ecclesia & universa denique Religio Christiana praedicat, illico Sanctitas tua illi Ecclesiae prospiciat.“ Nulla ibi mentio Epistolae Cyrilli ad Nestorium, nec in tota Epistola. Agnoscat quidem in genere Coelestinus veram fidem Ecclesiae Cyrilli, sicut & universae Ecclesiae, & dixerat antè: Omnia, quaecumque sentimus, ac tenemus, te itidem sentire ac tenere perspicimus. At quæso, idne est ex Cathedra sententiam ferre de orthodoxia alicujus Epistolae, quae nequidem nominatur? Minime Gentium. Haec enim & similia verba non sunt neque definitio intentae, neque res definita, sed circumstantiae definitionis, sicut ea, quae dicit Coelestinus de vera fide Ecclesiae Romanae & totius Religionis, ex quibus absurdum foret dicere, quòd ex Cathedra definièrit Orthodoxiam Ecclesiae Romanae, & totius Religionis. Insuper Coelestinus sententiam Cyrilli noverat aliunde, quam ex dicta ejus Epistola ad Nestorium; plures enim scripserat Cyrillus, duas Nestorio, unam ad quemdam Nestorii studiosum, alteram ad eos, qui agere ferebant, quòd doctrinam Nestorii impiam diceret, alteram ad Clericos Constantinopolitanos, & ea omnes ad Coelestinum per Possidium miserat, ut declararet in sua Ep. ad Coelestinum. Absque fundamento igitur assertit, haec verba Coelestini, omnia quaecumque sentimus, te itidem sentire perspicimus, esse dicta specialitèr de praefato Epistola Cyrilli ad Nestorium. Nec potiori jure haec Epistola potest dici solennitèr approbata, quam omnes aliae Cyrilli Epistolae, quòd nemo dixerit. R. 2. Dato gratis, hanc Epistolam fuisse specialitèr & expressè solenni iudicio approbatam; potuit Cyrillus absque praedictio fidei & infallibilitatis Pontificiae interrogare de Ortho-

thodoxia suae Epistolae, non quasi dubius, sed ad magis confundendos haereticos, certus de ejus Orthodoxia, & quòd Patres ex sola dictorum intelligentia illi assentirent; quòd equidem omnes ordine fecerunt absque ulteriori examine, ut patet ex actis art. 1. Sic ego nunc plene certus de Orthodoxia hujus Epistolae, quibusdam de Cyrilli & Nestorii dissidio disserentibus, absque praedictio fidei & infallibilitatis Pontificis, ac Concilii, ad majorem elucidationem & Nestorianorum convictionem, possem dicere: legitè hanc Epistolam; & dicite, an Cyrillus rectè sensit, necne?

De Concilio Chalced. etiam eodem art. diximus, quòd act. 2. lecta celebri Epistola S. Leonis ad S. Flavianum, Patres exclamaverunt: Haec Patrum fides... Petrus per Leonem locutus est, &c. Vide locum integrum art. cit. Item finito Concilio Patres rogant Pontificem, ut sancta in Concilio confirmet & adimpleat: vide iterum textum ibidem. Item S. Leo in Ep. ad Concilium praescribit Patribus Legem & Doctrinam quam sequi debeant: „Nunc inquit, in Vicariis meis adsum, qui dudum in fidei praedicatione non desumi: ut, qui non potestis ignorare quid ex antiqua Traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde Praetres charissimi, rejecta penitus auidia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat. Non liceat defendi, quòd non licet credi: cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque Doctrinam, plenissime, lucidissime per Litteras, quas ad beatè memoratè Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu-Christi pia & sincera confessio.“ Non sic profecto scripsisset S. Leo, si suum iudicium a Concilio reformabile putasset. Act. 2. cum Magistratus petissent, ut de fide ageretur secundum Concilium Nicenum & Constantinop. „Ceparius Reverendissimus Episcopus Sebastopolitanus dixit: emergerunt quae ad Eutychem pertinebant, et super iis FORMA data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanae Urbis; et sequitur eum, et Epistolae omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Ita omnes delictum: sufficient, quae exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri.“ Adco tenebant iudicium S. Leonis irtractabile. Act. 3. Ferrus sententia in Dioscorum nomine Leonis ministerio Concilii: „Unde, inquit Patres Synodici: Santissimus et beatissimus Archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per S. Synodum, una cum ter Beatissimo et omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est Petra & cerniolum Catholicæ Ecclesiae, & recte Fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio.“ Item S. Leo rogatus, ut acta hujus Concilii confirmaret, confirmavit dumtaxat quoad ea, quae ad haeresim Eutychem spectabant; improbat autem & rescidit quoad ea, quae Privilegia Ecclesiae Constantinop. spectabant.

Opponunt Adversarii, & multum urgent examèn celebri Epistolae S. Leonis ad Flavianum, factum a Synodo, ex quo inferunt iudicium summi Pontificis in causis fidei non esse irtractabile. R. Istud examen factum fuisse, non quòd Synodus suspicaret ullum in ea Epistola errorem; jam enim antea, quòd bene notandum est, illi absque examine subscripserat, & saepe Patres clamaverant „Sicut Leo, ita credimus; Petrus per Leonem locutus est: Epistolae omnes subscripsimus: sufficient ad fidem quae exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri.“ Excipiunt tantum Episcopi Palaestini & Illyricani, qui patiebantur difficultatem circa quorundam verborum sensum, ut ipsimet dixerunt; quia scilicet non callebant linguam litinam, sed, de quo instructi, pariter Epistolae subscripserunt. Factum est ergo istud examen post jam receptam Epistolam, ut magis convincerentur Eutychemiani, qui eam execrabantur ut Nestorianam, & ut nulla amplius illis esset ratio eam retractandi, quae consensu totius Ecclesiae firmaretur, ut dicit ipse S. Leo Epist. 65. ad Theodoretum, & Patres synodici in relatione ad Marcianum Imperatorem: „Credentibus, inquit, loquendo de ista Epistola, sufficit utilitatem fidei indiscussa perspectio, ad confessionem pii dogmatis devotos pertrahens animos: hos autem, qui Doctrinam rectam pervertere moluntur, ad singula, quae male parient, oportet occurrere.“ Unde, quando Patres V. Synodi Collat. 6. ut parerit sibi viam ad condemnationem Epistolae Ibe, quae non fuerat discussa, nec probata in Concilio Chalcedon. dixerunt, Epistolam S. Leonis non fuisse receptam in eodem Concilio, sine inquisitione & collatione cum Doctrina Patrum, vel erraverunt in facto, ut patet ex actis Concilii Chalcedon. vel intelligunt de secunda receptione, quae fuit tantum amplior declaratio primae, ad majorem & efficac-

ciorem confutationem Erychianorum.

Agatho Papa occasione VI. Conc. generalis Constantino Pogonato, primam solus, secundam cum Concilio Romano. In 2. securè pronuntiat se suis legatis ad Concilium mandasse, ut, quae ipse cum suo Concilio definièrat, non examinarentur tanquam dubia & incerta, sed ut certa & immutabilia publicarentur. „Per nos, inquit, praevimus dirigere, non tamèn tanquam DE INCERTIS contendere, sed ut CERTA ET IMMUTABILIA compendiosa definitione praeserret.“ Et infra in eos, qui contradicerent, sententiam condemnationis profert his verbis: „Qui vero HÆC CONFITERI NOLUERINT, ut infestis Catholice atque Apostolice confessioni perpetue condemnationis reos esse censemus.“ Certissimus profecto de sua infallibilitate erat Pontifex, qui sic loquebatur, vel imprudentissimus, qui si falsa proferret, a Concilio Oecumenico statim esset redarguendus. Haec enim Epistola lecta fuit in Concilio act. 4. & ab omnibus act. 8. probata & subscripta nullo contradicente, excepto uno Marcario Monothelita, qui ideò fuit depositus, In 1. Epistola dicit Agatho, Ecclesiam Romanam, & Romanos Pontifices nunquam in fide defecisse, aut defecere, sed eorum partes esse fratres in fide confirmare. „Spirituales oves Ecclesiae, inquit loquens de S. Petro, ab ipso Redemptore omnium terrena commendatione pascendas suscepit, cujus ardentè praesidio, haec Apostolica ejus Ecclesia NUNQUAM A VIA VERITATIS IN QUALIBET ERRORIS PARTE DEFLEXA EST... Haec est enim verè fidei regula, quam in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit haec spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolice Traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit... Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promissit, confirmare eum fratres admovuit; quòd Apostolicos Pontifices meae exiguitatis praecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.“ Neque dicas, id intelligendum de successione, & non de singulis Pontificibus; alioquin falsum esset, quòd Pontifices id semper praestitissent.

Hanc Epistolam sicut praecedentem pariter Patres susceperunt act. 18. singuli sigillatim suo ordine assentientes; & in sermone acclamatorio ad Imperatorem, Concilium universum dicit: „Summus autem nobis concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorum, & sedis successorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti Mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi, a Deo scriptam, illa Romana antiqua civitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus exultit, charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur, Et in Ep. ad Agathonem: Tibi ut primae sedis antisiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter perfectis verè confessionis litteris, a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divinè perscriptas agnosceremus, per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam sectam depulimus.

Reponit quidam, Epistolam Agathonis non fuisse receptam, nisi previo examine; quia Georgius Constantinopolitanus dixit: „Inspiciamus omnem virtutem earum litterarum, & scrutans libros Sanctorum, ac probabilitum Patrum concitata, quae continent, inveni consentanea eis, & sic profiteor & credo. Alii dixerunt: Inveni, in nullo eas a sanctis Patribus discrepare; & consentio.“ & in eum sensum, inquit, omnes sigillatim subscribunt, nec nisi eo examine probatae Epistolae Agathonis: ex quo inferit, delinquentem Agathonem non habitam fuisse a Concilio infallibilem. R. 1. assumptum non esse ex omni parte verum; quòd Georgius Constantinopolitanus interlocutus fuerit, ut in instantia, verum est: quòd alii dixerint: inveni in nullo eas a sanctis Patribus discrepare, error est; non enim alii, sed alius, unus quippe tantum sic dixit, scilicet Sisinnius Heraclæ. Quòd addit, Omnes sigillatim in eum sensum dixisse, gratuitum est; nullus enim id exprimit, sed omnes, praeter duos assignatos, simpliciter suffragantur, nulla facta mentione examinis. R. 2. dato, examen praecessisse, N. Illationem: non enim quicumque aliquam doctrinam examinat, de ejus veritate dubitat: sic Theologi quotidie examinant Scripturas sacras, decreta Conciliorum Oecumenicorum, ea cum Scriptura & Traditione conferendo, non quòd ullatenus de veritate Scripturarum, aut Decretorum fidei dubitent, sed ut magis, ac magis eis fir-

mentur, sintque omnibus de his inquirentibus respondere parari, & refractarios revincere magis idonei. Sic Patres Ephesini examinauerunt Epistolam S. Leonis, nullatenus de ejus veritate dubitantes, ut superius diximus. Item, si facto examine approbavit Synodus Epistolam Agathonis: ergo approbavit examine facto infallibilitatem Romani Pontificis, in eis clarè assertam.

In VII. Synodo generali Nicæna II. ann. 787. act. 2. littere Adriani Papæ ad Imperatorem, & ad Tarasium Patriarcham Constantinop. fuerunt lectæ, & cum applausu exceptæ. In 1. Pontifex jubet in primis, ut ante omnia pseudo-Concilium contra sacras Imagines anathemati etur presentibus missis nostris, id est, legatis. 2. Quod unquamque Synodum, & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit. In 2. requirit a Patriarcha, ut fidem Ecclesie Romanæ incorruptè, atque incantaminatè ex profundo cordis, & sinceritate mentis custodire studeat. Respondet, ut antè, has litteras non fuisse probatas sine examine; & nos hanc responsonem præcedentibus solutionibus excipimus, præsertim cum solus Tarasius dixerit se scrutatum fuisse scripturas, tota vero Synodus, à legatis interrogata: Si admittit litteras sanctissimi Papæ senioris Romæ, an non simpliciter responderit: Sequimur, & suscipimus, & admittimus. At, inquit, id de irreformabili judicio quæri, neque ratio, neque fides sinit. Quasi vero esset contra rationem & fidem exigere ab aliquo professionem fidei, aut in terrore de Catechismo.

In VIII. Concilio generali Constantinop. IV. ann. 869. contra Photium, nullus admissus fuit, quin prius formulae fidei ab Adriano II. misse subscripsisset. In hac autem fidei formula continentur sequentia: Quia non potest Domini nostri Jesu-Christi prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc, qua dicta sunt, rerum probantur eventibus, quia in sede Apostolica immaculata est semper servata Religio, & sancta celebrata Doctrina. Ab hujus ergo fide, atque Doctrina separari minime cupientes, & Patrum & præceptum Sanctorum sedis Apostolicæ Præsidum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses, simul cum Iconomachis. En in Concilio generali admissa infallibilitas Romani Pontificis fundata in verbis Christi, Tu es Petrus, & In Concilio Viennensi, Clemens V. clementina de summa Trinit. §. Nos igitur, soluit, quod ad Apostolicam considerationem DUMTAXAT declarare pertinet, quæ in scripturis obscura sunt.

Respondent quidam, per illud Dumtaxat intelligi tantum, hæc sine Sede Apostolica tractari non posse; alioquin excluderetur Concilium, quo approbante ista definiuntur. Sed contra: per hanc particulam Clemens equidem non exclusit Concilium generale tanquam quid utile, & hoc sensu id definitur Approbante Concilio; sed exclusit, ut aliquid absolute necessarium: alioquin falsum esset, hæc ad Sedem Apostolicam Dumtaxat pertinere. Nec mentem definitionis salvat adversariorum interpretatio; quod enim fieri non potest sine Sede Apostolica, si tamen aliud ad id necessariò concurrere debet, falsò dicitur, id dumtaxat ad sedem Apostolicam pertinere: sicut, licet in judicio supremi Senatûs causa non possit definiti sine Præside, aut locum tenent, falsò tamen dicerem, ad Præsidentem dumtaxat pertinere causam definire; quia etiam alii Judices necessariò concurrunt ad judicium: secus esset, si suprema judicandi auctoritas esset penes solum Præsidentem, & ipse ex abundantia atque propter majorem utilitatem & convenientiam assessores assumeret, quibus auctoritatem judicandi communicaret.

Clemens VI ipse Gallus & Doctor Parisiensis 14. Doctrinæ articulos Armenis recentè ad fidem Catholicam convertit proposuit, quibus deberent subscribere, si Romanæ Ecclesie integrè vellent consociari. Horum quintus sic erat: Si credidisti, & credis, quod in tantum fuerit, sit & erit suprema et præminens auctoritas et juridica potestas Romanorum Pontificum, et illorum, qui in posterum erunt; ut a nemine judicari poterint, poterimus, neque in posterum poterint, sed soli Deo judicandi servati fuerint, servemur, & servabuntur: et quod a sententiis et iudiciis nostris non poterint, neque possit, neque poterit ad aliquem Judicem alium appellari? Decimus tertius sic habebat: Si credidisti, et adhuc credis, solum Romanum Pontificem in dubiis emergentibus circa fidem Catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere: et esse verum et Catholicum, quicquid ipse auctoritate clavium, sibi traditarum a Christo, determinat esse verum, et quod determinat esse falsum et hæreticum, tale sit censendum? Hæc apud Odericum Raynaldum in Annalibus ad 1346. & 1351.

Hujus luculentissimi testimonii vim infringere conantur Adversarii ex Diplomate ejusdem Clementis V. dato 7. Idus Dec. 1351. quod pro testamento ultimæ voluntatis reliquit, in quo dicit: „Signa dudum in minoribus constituti, et postquam ad fastigium Apostolicæ dignitatis divina bonitas dignanter potius quam dignè provexit, nos disputando, legendo, prædicando, aut aliis contra Catholicam veritatem et fidem, vel bonos mores, ex lapsu linguæ præcipitanter forte protulimus, revocamus et volumus pro revocatis haberi, et ea omnia Apostolicæ Sedis auctoritati submittimus et supplicamus corrigenda. Verum quid inde contra prius testimonium? In illo dicit Clemens, Pontifices Romanos esse infallibiles, quando per determinationem authenticam, et ex claviis sibi a Christo traditarum auctoritate de fide pronuntiant. Hac dicit esse fallibiles, quando extra tribunal, ex lapsu linguæ præcipitanter proferunt aliquid; quod ultro concedimus. Unde nullatenus sibi contradicunt hæc testimonia, & primum manet immotum.

Dices: Summi Pontifices, quos hinc usque laudavimus, locuti sunt in propria causa, ergo eorum testimonio nihil probant. R. 1. D. Ant. Summi Pontifices locuti sunt in propria causa palam, & nemine contradicente. G. Ant. Aliis contradicentibus, N. Ant. & Conseq. Sic, dum in tota retrò antiquitate, Episcopi suæ Sedis, Reges & Principes sui Throni jura defendebant actis publicis, quibus nemo contradicebat, admittentur eorum testimonia; quibus & Pontificum admittantur, qui documentis & actis publicis, quibus nemo suo tempore contradixit, privilegia suæ sedis testati sunt & propugnarunt? 2. Pontifices laudati non recitatione solum, sed vitæ probitate fuerunt conspicui, & plures inter illos Sancti numerantur: nulla est ergo ratio suspicandi, quod ex superbia & ambitione privilegia infundata & injusta sibi vindicare voluerint.

§. V. Probatum Conclusio ex Patribus, Episcopis, et Theologis Gallicanis.

Patres Concilii Arelatensis ann. 455. in Ep. synodica ad S. Leonem dicunt: Apostolatus vestri scriptum (indubie celebrem Epistolam ad S. Flavianum) ita ut Symbolum fidei, quisquis Sacramenta Religionis non negligit, tabulis cordis inscripsit, & tenaci, ad confundendos Hæreticorum errores, ut paratior sit, memorie commendat. Solius autem est auctoritatis infallibilis condere Symbolum fidei, ut docet S. Th. supra nec nisi fides tabulis cordis inscribitur; decretis enim supremæ auctoritatis, quæ non est infallibilis, reverentia debetur, non assensus mentis. Ann. 117. S. Avitus Episcopus Viennensis nomine Ecclesie Gallicanæ agnoscit summum Pontificem, & supremum Judicem in causis fidei: sic enim Ep. ad Hormisdam Papam scribit: „Quæsumus ergo, servitio meo juncto, ut quid filiis vestris, fratribus meis, id est, Gallicanis, si consulant responderi debeam, instruat. Quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Gallie devotione, pollicitor, omnes vestram, super statum fidei, captare sententiam. Orate, ut sic nos prædictorum Confessio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat.“

Ann. 567. Concilium Turonense, ad quod convenerat universa penè Ecclesia Gallicana, post recitatum Innocentii I. Decretum, de Virginitate Deo dicatis matrimonio non jungendis. Can. 20. sic loquitur: „Quis Sacerdotum contra talia decreta, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere presumat... & quorum auctorum valere posset prædicatione, nisi eorum, quos Sedes Apostolica approbavit? Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcipit auctoritas. Nos ergo sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit, in Canonibus nostris inserentes, observandum.“

Respondent more solito, hæc decreta non fuisse recepta, nisi prævio examine. Sed contra. Id omnino gratis factum patet ex textibus, quin imò ex eis contrarium palam evincitur; nam 1. quod recipitur tanquam Symbolum fidei, ut loquitur Concilium Arelatense, non subiecit examini, saltem ut res dubia. 2. S. Avitus ante examinationem decretum promittit obedientiam totius Nationis Gallicanæ. 3. Concilium Turonense dicit, neminem contra hujusmodi decreta præsumere agere, hæc a Patribus semper custodienda fuisse, & se in omnibus ea servaturum. Insuper examen aliquis Decreti non semper arguere ejus fallibilitatem, diximus paulò antè.

Omitto, brevitate causa, Hicmarum sæc. 9. Ep. ad Nicolaum I. & opusc. de divorzio Lotharii Regis, Concilium Pontigonense ann. 876. sub Joanne VIII. Ivonem Carnotensem Ep. 8. ad Richerium Archiep. Senonensem in quo dicit:

dicit: Hujus (Sedis Apostolicæ) judicis & constitutionibus obviare plura est hæreticæ pravitatis notam incurtere: & plures alios, ut tandem ad ipsam Academiam Parisiensem venimus.

Anno 1324. Stephanus Parisiensis Episcopus occasione Bullæ Canonizationis S. Th. ejusdem Academiæ Doctoris, edidit Decretum de Consensu Decani & Capituli Parisiensis & Magistrorum dicte Universitatis, ut fortè Edictum sequentis tenoris: Nos igitur attendentes, quod sacro-sancta Romana Ecclesia, omnium Mater & Magistra, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut ad universam Regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio & reprobatio Doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatione tendendorum, & consuetio errorum &c.

Paucis post annis eadem Academia obtulit Clementi VII. Avenione residenti, quem Gallia pro vero Pontifice agnoscebat, Tractatum Theologicum, in quo asserbat, & probat infallibilitatem Romani Pontificis in questionibus fidei, his terminis: „Prima Conclusio est, quod ad S. Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema, circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire; & hoc probatur: quia ad illas tanquam supremi Judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit: sed S. Sedis Apostolicæ fides nunquam deficit; quia de hac sede dicitur esse: Petro, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Luc. 22. Propter quod dicit Cyprianus: qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se non esse demonstrat. Et Hieronymus dicit: super eam fundata est Ecclesia: & quicumque cum Pontifice Romæ non colligit, dispergit.“ Observat noster Serry, Tractatum hunc manuscriptum in Bibliotheca Collegii Navarici etiam hodie extare; legique in plerisque Editionibus ad eadem Magistri sententiarum, titulo Commentarii adversus errores Fratris Joannis de Montesonio.

Respondent Adversarii, Academiam infallibilitatem Sedi Apost. tribuere, non Romano Pontifici. Sed contra: etiam Romano Pontifici tribuit, siquidem dicit cum Hieron. qui cum Pontifice Romæ non colligit, dispergit. Unde, cum Sedem Apostolicam exprimit, figurata locutio est, quia sedes pro sedente accipitur: non enim sedes loquitur, aut definit nisi ore sedentis. Insuper quid est Sedes Apostolica, nisi summus Pontifex cum Clero Romano? Non definit autem Pontifex ex Cathedra nisi ex consilio, vel consensu Cleri Romani, ut dicitur est. Unde, si ipsa sedes sit infallibilis, infallibilis quoque est Pontifex Romanus loquens ex Cathedra. De hoc communi adversariorum effugio specialiter adhuc dicam infra.

Anno 1387. eadem Facultas profiteretur infallibilitatem Romani Pontificis. Sic enim, referente Baluo Hist. Paris. ad eundem ann. ipsum alloquitur: „Quidquid dicitur sumus totum correctione & judicio Sedis Apostolicæ & sedentis in ea summi Pontificis humiliter submittimus, dicentes cum B. Hieron. 24. q. 1. Hæc est fides, Pater beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus; in qua si quid minus peritè, aut minus caute fortè aliquid positum est, emendari petimus a TE, qui Petri fidem & sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quod S. Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam, eodem Hierony. teste, fundata est Ecclesia, ut habetur in eadem questione, cap. Quoniam vetus; & sicut dicit Cyprianus 93. Dist. cap. Cathedram. De qua Sede in Persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: Petro, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Luc. 22. Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ pravitatis detestatio maxime pertinet.“

Ejusdem sententiæ erat tota Natio Gallicana ann. 1305. cum Regni Proceres Nationis nomine petebant, dato libello ad Clementem V. ut Bonifacii VIII. memoriam damna-ret; dicebant enim: Non queritur de hæresi Papæ quondam, ut Papa, sed ut private persone: nec enim ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona: Nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, fuit hæreticus. Quo testimonio non solum evincitur conclusio ex mente Nationis, sed etiam habetur hæc distinctio inter Papam et Papam, & ut hominem privatam, non esse recens inventam, ut quidam effutunt.

Anno 1579. Clerus Gallic. in Comitibus general. Meloduni adversus Lutheri & Calvinii errores sic præcipit: Clerici & Laici aperta professione eam fidem pronuntiant, quam S. Romana Ecclesia, magistra, columna, & firmamentum veritatis, proficitur & colit. Ad hanc enim propter suam principalem, necessarium est omnem convenire Ecclesiam. Billuart. Secunda Secundæ.

clesiam. Et in fine articulorum subjungitur: Omnia hæc S. Romane Ecclesie, cujus ex præceptis populum fidelem instituit, & certam fidei, ac morum correctionis regulam constituit oportet, iudicio & auctoritati subijcimus.

Anno 1612. liber Edmundi Richerii contra infallibilitatem, & alia jura summi Pontificis, ab eadem Academia Parisiensi, & a Concilio Aqueensi & Senonensi damnatus est, & ipse Richerius compulsus ad retractationem, quam ann. 1629. Cardinali Richelio obtulit his verbis: Prorektor & declaro, me semper voluisse, ac etiamnum velle & me ipsum & meum libellum, & quascunque ejus propositiones, omnemque doctrinam meam Ecclesie Catholice Romanæ, & Sedis Apostolicæ iudicio subijcere, QUAM MATREM ET MAGISTRAM ECCLESiarUM ET INFALLIBILEM VERITATIS JUDICEM AGNOSCO. Hæc ultima verba referri ad Ecclesiam Catholicam, & non ad Sedem Romanam, ut quidam volunt, est manifestè contra contextum, ut patet, & contra sensum; non enim Ecclesia Catholica Est mater & magistra Ecclesiarum, cum Ecclesia Catholica non sit aliud, quam omnes alie Ecclesie simul sumptæ, non est verò mater & magistra sui ipsius. Aliudè Richerius non negaverat infallibilitatem Ecclesie Catholice, sed Sedis Apostolicæ. Unde addit: Quam declarationem profiteor, me libere, ac voluntarie dedisse, ut me erga Sedem Apostolicam obedientiam cunctis pateat.

Occasione libri Richerii Academia Parisiensis 1. Decembris eodem ann. 1629. Decreto solemnè sanxit, ut, qui deinceps Theses essent defensuri, disputationi sequens juramentum permitterent: Juro, atque protestor, me nec dicturum, nec scripturum quidquam, quod adversetur sacre Scripture, Concilio Œcumenicis, Decretis summi Pontificum, & statutiæ alme Facultatis Parisiensis matris mee, & quibus adhaereo, & me firmiter adhaerendum polliceor. Retert Hyacinthus Serry Doctor Parisiensis in Opusculo de Rom. Pont. edito ann. 1732. formulam hujus juramenti, etiamnum hodie ita religiose servari, ut, cum non ita pridem quidam Baccalaureus verbulum addidisset, neque nihil dicturum jurasset, quod adversaretur Decretis Romanorum Pontificum, Communi Ecclesie consensu receptis, gravem ab Academia animadversionem subierit, poenæque audacitæ dedit.

Anno 1626. Comitibus generalibus Cleri Gallic. art. 1637. statuunt, hortandos Episcopos, uti Sedem observent Apostolicam, Ecclesiamque Romanam infallibili Dei promissione fundatam. Petro cum clavibus datam infallibilitatem Fidei, quam videmus divine potentie miraculo in Petri successoribus, ad hodiernum usque diem, immobilem permanere.

Respondent solita evasione, hæc intelligenda esse, non de quolibet Petri successore, sed de serie atque successione, ita ut ipsa series, seu successio nunquam deficiat a fide. Sed velim, quomodo concipi potest, quod series, atque successio a fide non deficiat, Et in Petri successoribus fides permaneat immobilis, si & iste, & iste Petri successor in fide deficiat? Numquid successio est in successoribus & successores constituunt successionem? Planè contra videtur hæc interpretatio. Quod si per successionem intelligant Sedem Apostolicam, ut videntur aliquando intelligere; de hac jam dixi, & dicam adhuc infra.

Anno 1655. 85. Episcopi, in Comitibus Congregati, petunt ab Innocentio X. Judicium de libro Jansenii, hæc potissimum ratione, quod, majores cause ad Sedem Apostolicam referre solemnè Ecclesie mos esset, in qua fides Petri NUNQUAM DEFICIENS PERPETUO CONSERVATUR. Et ann. 1658. gratias agentes eidem Pontifici pro condemnatione libri Jansenii, datis litteris dicunt: „Perpetuum habemus, non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, iudicia pro faciendâ REGULA FIDEI, a summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, DIVINA ATQUE SUMMA per universam Ecclesiam auctoritate nri, cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur, seu suam Episcopi in consultatione sententiam ponant, seu non ponant.“ hoc est, seu consultantium Episcoporum consensus accedat, seu non accedat: ergo Romani Pontificis iudicium est infallibilis fidei regula independentè a consensu Ecclesie. Ne longior sim, omitto illustiores ejusdem Academiæ Doctores, Albertum magnum, Alexandrum Halensem, de S. Thom. dixi supra, S. Bonaventuram, Nicolaum Lyranum, Nicolaum Cosicteum Gabrielem Abaspinem, Petrum de Marca, Habertium, Hallerium, Mauclerum, Duvallium, &c. qui omnes stant pro infallibilitate summi Pontificis. Et quot adhuc nunc pro eadem veritate stant, qui ex obedientia tacent?

§. VI. Probatur Conclusio ex praxi Ecclesie ab exordio.

TRibus primis seculis ante Concilium primum generale plures heretici solius Romani Pontificis iudicio fuerunt irreformabiliter damnati: Anno 150. Cerdon & Valentius ab Higyno apud Euseb. libr. 1. Hist. c. 10. Anno 156. Theodorus a Victore, apud eundem libr. 5. c. 25. Anno 215. Montaniste a Zepehrino apud Tertull. libr. de jejun. c. 1. Post Concilium Nicenum ann. 390. Sircius damnavit Jovinianum. Anno 401. Anastasius damnavit Rufinum Origenistam. Anno 416. Innocentius I. damnavit Pelagium. Et hi omnes habiti sunt heretici ex solius Papæ iudicio.

Respondent adversarii, hos equidem habitos fuisse hereticos, non tamen ex solius Papæ iudicio, sed ex accedente consensu Ecclesie. Contra est. 1. Quod tribus primis Ecclesie seculis, dum serveret persecutio, & Episcopi, vel in Cypriis & Sepulchris latitarent, vel carceribus detinebantur, vel exulabant, difficile admodum nec nisi post longum tempus poterat haberi consensus Ecclesie, & de illo certitudo. Neque tamen interim hærebant fideles, quibus immotescerat sententia Romani Pontificis; sed ex illa hereticos damnatos pro damnatis præstabant. 2. S. Aug. Statim post latum Romani Pontificis iudicium contra Pelagianos, antequam toti Ecclesie posset immotescere, aut de ejus assensu posset haberi certitudo, securus pronuntiavit: Rescripta Roma venerunt, causa finita est.

§. VII. Probatur Conclusio Rationibus.

1. Sic arguo cum jam laudato nostro Hyacintho Serry. Illud iudicium in materia fidei est irreformabile, quod est supremum & ultimum, post quod non datur aliquid superius, ad quod appellari possit; atqui tale est iudicium Romani Pontificis, loquentis ex Cathedra in materia fidei & morum: ergo. Maj. patet. Prob. multipliciter Min. 1. Ex tribus Pontificibus, Bonifacio I. Gelasio I. & Nicolao I. Is Ep. 8. ad Michælem Imperatorem sic loquitur: „ Patet protecto, Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate MAJOR NON EST, iudicium a nemine fore retractandum; NEQUE CUIQUAM DE EJUS LICET JUDICARE JUDICIO Juxta quod Bonifacius Papa, Rufino & cæteris Episcopis per Thessaliam constitutis scribens, ait: NEMO UNQUAM Apostolico culmini, de cujus iudicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit: NEMO IN HOC REBELLIS extitit, nisi qui de se voluit judicari. Et B. Papa Gelasius: ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesie ad hujus Sedis examen voluerunt deferri: AB IPSA VERO NUSQUAM PRORSUS APPELLARI DEBERE, SANXERUNT, ac per hoc illam DE TOTA ECCLESIA judicare, ipsam ad nullius commeari iudicium.“

Est qui respondeat, his decretis tantum caveri hæc duo; alterum, ne ordinaria negotia post Sedis Apostolicæ iudicium ad ulteriora iudicia referantur? Alterum, ne in causis etiam maximis retractentur ea, quæ in exequendis statutis conciliaribus hæc sedes egerit, aut quæ universali, firmæque consensione recepta fuerint. Sed contra testor oculatissimos, si vel verbum deprehendant in toto Textu, quod hunc sensum indicet: sufficit illum inspicere, ut pateat, has interpretationes esse merè gratulatas, imò & ipsi aperte contrarias. Enim verò, AUCTORITATE SEDIS APOSTOLICÆ non est quid majus, a quo sit ejus iudicium retractandum: ergo tam in maximis, quam in ordinariis; tam in iudicandis, quam in iudicatis exequendis; tam sine, quam cum consensu aliarum Ecclesiarum, ejus iudicium est irtractabile. 2. Nemo unquam ejus iudicia retractare ausus est: ergo in quocumque negotio fidei, sive iudicando, sive iudicato, sive aliis probato, sive non, est irreformabile. 3. Romana Ecclesia debet de tota Ecclesia iudicare, ipsa ad nullius commeari iudicium: ergo in quocumque re. fidei iudicanda, non spectata Ecclesie consensione, stat firmum & a nullo retractabile ejus iudicium. Vix est verbum in textu, quod has interpretationes non explodat.

Prob. 2. eadem Min. ex Aug. qui, ut vidimus, iudicium Innocentii I. contra Pelagianos pro finali & irreformabili habuit, dum dixit: Rescripta Roma venerunt, causa finita est: Id etiam constat ex pluribus aliis Patribus a nobis prius laudatis. Prob. 3. eadem Min. 1. Appellans in causa appellationis eximitur a jurisdictione illius, a quo appellat, & ab ejus obedientia recedit; atqui nullus fidelis potest eximi a jurisdictione summi Pontificis, alioquin

non esset amplius ejus ovis, consequenter nec fidelis; neque ab ejus obedientia recedere, cum sit supremus omnium Rector, Pastor, & Superior: ergo. 2. Judex, a quo appellatur, non debet dare & designare appellanti Judicem ad quem, alias ageret contra seipsum; atqui solus est Romani Pontificis iudicare, congregare, confirmare & robur tribuere Conciliis Œcumenicis: ergo iudicium Romani Pontificis est ultimum in Ecclesia, consequenter irreformabile & irtractabile. Patet Conseq. Quia, si esset Tribunal, ad quod a Papa posset appellari, foret dubie Concilium generale.

Prob. Conclusio alia ratione. In Ecclesia a Christo benè ordinata debet admitti Judex semper permanens & vivens, qui Scripturas, Traditiones, & Controversias de fide, ac moribus exurgentes infallibiliter interpretetur & dirimat; atqui is non est alius, quam Romanus Pontifex: ergo. Prob. Min. Iste Judex supremus & infallibilis semper vivens non est cujusque spiritus privatus, non Princeps secularis, ut olim diximus, non Concilium generale: quia, licet Pontifex præsideat sit Regula infallibilis fidei, non sufficit tamen, quia rarissime & difficillimè congregantur Concilia generalia & tamen continuo in Ecclesia oriuntur controversiæ de fide, ac moribus, ad quas dirimendas præsto adesse debet Judex: ergo.

Dicunt, adesse Ecclesiam universam, cujus consensu accedente fit irreformabile & infallibile iudicium Pontificis. Ita quarta propositio declarationis 34. Episcoporum Gallicanorum 19. Martii 1682. his terminis: In fidei questionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & ad singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesia consensus accesserit. Et hæc videtur Epochahodierna sententia Gallicanorum, quæ, licet ex huc usque dictis consurata maneat, juvat tamen ex absurdis, quæ ex illis sequuntur, specialiter eam impugare. Unde sit

§. VIII. Probatur Conclusio ex absurdis adversa sententia.

Solius summi Pontificis iudicium non sit infallibile in questionibus fidei & morum, nisi ex consensu Ecclesie, sequitur 1. quod Pontifex infallibilitatem suam mutuet ab Ecclesia; sicque quod Ecclesia non sit fundata in Petro, sed Petrus in Ecclesia; quod Petrus non pascat oves, sed oves pascant Petrum; quod Petrus non confirmet Fratres in fide, sed Fratres Petrum confirmet; quæ sunt aperte contraria Scripturis. Sequitur 2. Quod summus Pontifex non magis gaudeat privilegio infallibilitatis, quam Episcopus minima Dioceseos. Hic enim definit aliquid de fide & suis Dioceseis proponat credendum, si accedat consensus cæterorum Episcoporum, iudicium ejus erit infallibile. Idem dici potest de iudicio simplicis Pastoris, aut Doctoris; atqui Consequens est absurdum, & a Scripturis, ac tota Traditione prorsus alienum: ergo.

Sequitur 3. Fideles fore fluctuantes in fide, nec habere aliquid fixum & firmum, cui assensu fidei adhererent. Quæro enim, qualis Ecclesie assensus requiritur? An totius Ecclesie? an majoris partis, an minoris, puta unius Provinciæ, vel Nationis? Non hoc ultimum, quod iure enim hæc unius Provinciæ, vel Nationis Ecclesie conferret Pontifici infallibilitatem, quam non habet? Non primum; alioquin sufficeret dissensus unius, vel alterius Episcopi, aut fidelis ad infirmandum iudicium summi Pontificis, sicque nullum unquam erit infallibile. Insuper quomodo & quando posset haberi consensus Episcoporum & fidelium, qui sunt in Indiis Orientalibus & Occidentalibus? Et interim fideles fluctuabunt, & hæreses grassabuntur. Non denique secundum: Quia, ut modo dicebam de tertio, unde pars Ecclesie, etsi major, & non tota Ecclesia, habet infallibilitatem, quam tribuit Pontifici? 2. Quis denumerabit partes consentientes, ut dignoscatur, an major pars adherat? Quis hunc consensum fidelibus annuntiabit? Id ab exordio Ecclesie novimus semel factum occasione Bullæ: Unigenitus, cui tamen nec omnes obediunt. Quid verò de innumeris, de quibus id non est factum? Quid de futuris, de quibus non est credibile, quod unquam fiet? Interim nullus fidelis tenebitur assensum fidei præbere decretis Pontificis: nemo enim tenetur, nec potest assentire fidei divina nisi auctoritati, quam certò novit infallibilem; quia fidei non potest subesse falsum: sicque quilibet suo arbitrio dimittetur, & ut modò dicebam, hæreses grassabuntur & vires accipient. 3. si sufficiat assensus majoris partis, non est quod tanto zelo disputent Galli; cum enim, his exceptis, omnes alie Ecclesie ad minus tres partes totius Universitatis, agnoscan-

scant summum Pontificem infallibilem, nullum ab eo dimanar decretum ex Cathedra, quod non recipiatur a majori parte Ecclesie.

At, inquit, debet acceptari prævio examine. D. Prævio examine, ut intelligatur quid continet, C. Ut tanquam dubium, aut erroneum reformetur, N Alioquin contingere posset, quod tres partes Ecclesie cum Pontifice errarent in fide & sola Gallia sine summo Pontifice servaret veram fidem. Insuper undè fideles cognoscere certò poterunt, omnes Episcopos prævio examine acceptasse? Quousque autem id resciant, fluctuabunt, assensum fidei præbere nec tenebuntur, nec poterunt. Ubi ergo erit fides Ecclesie; Ubi Ecclesia?

Licet insuper paululum expendere terminos celeberris declarationis. Dicitur: In questionibus fidei præcipuas summi Pontificis esse partes. Quæro, quæ sit ista præcipua partes? An quod summus Pontifex præminet Concilio generali? Minime: Concilio enim generali subjicitur in secundo articulo declarationis. An quod ejus iudicium prævaleat iudicio Concilii Provincialis, aut saltem cujuslibet Episcopi? Nequaquam; juxta enim systema adversariorum, quilibet Episcopus habet jus examinandi iudicium Pontificis, & illud, si non probet, rejiciendi. Porro Judex, qui habet jus recognoscendi, examinandi, & improbandi iudicium alterius, non se agnoscit illi inferiori, sed potius superiori. Dicitur item Pontificis Decreta ad omnes & ad singulas Ecclesias pertinere: at quomodò ad omnes Ecclesias, si quilibet Episcopus possit illud decretum reprobare & suprimere? Et dato, quod Episcopus illud iudicium probet, & suis Dioceseis intimet, atque ejus receptionem præcipiat; non tenebuntur ideo Dioceseis, nec poterunt illud acceptare assensu fidei, donec ipsis innotescat consensus totius, vel saltem majoris partis Ecclesie, quia eo usque est fallibile & reformabile; assensus autem fidei, ut dictum est, præberi non potest nisi veritati certò infallibili: & quomodò, ac quando fideles plebei & rustici cognoscent, hunc Ecclesie consensum accessisse? Patet ergo evidenter, hæc esse verba & nihil amplius.

Petes 1. Utrum ista declaratio sit definitio Ecclesie Gallicanæ? R. N. Quia ex 130. Episcopis Ecclesie Gallicanæ, tantum 34. huic Conventui adfuerunt, nec alii advocati sunt; & qui ab absentibus Comprovincialibus missi sunt, non habebant auctoritatem de doctrina iudicandi & definiendi.

Petes 2. Quis fuerit Academiæ Parisiensis sensus circa hanc aliquorum Episcoporum declarationem? Respondet Hyacinthus Serry ejusdem Academiæ Doctor, qui circa id tempus stadium licentiæ decurrebat, Opusc. de Romano Pontifice pag. 265. eam in condendis iis doctrinæ articulis, partem nullam habuisse, & in acceptanda hac declaratione, dum ad ipsam Regis Christianissimi jussu transmissa est, vim non modicam passam esse. Cum enim Senatus Princeps, Regique cognitores ad Academiæ comitia se contulissent, ut sanctos Doctrinæ articulos a Doctoribus recipi, & in publicas Academiæ tabulas referri curarent; tam acres inter Doctores excitatae sunt turbæ, desidia tantæ, ut, re infecta, Senatus Princeps abscesserit. Tum post dies aliquot, non expectata Magistrorum deliberatione, nulloque illorum assensu quæsito, in supremam Senatûs curiam advocatus est publicus Academiæ Notarius & Scriba die 16. Junii, missisque quibusvis formulis, Cleri Gallicani declarationem Academiæ tabulis inscribere jussus est. Quod vero postea Baccalaurei, qui stadium licentiæ decurrebant, illos ipsos articulos per aliquot annos, Thesis suis inscripserint, ac etiam propugnarint, ut possent ad magistræ gradum promoveri, non Academiæ statutum, aut jussum, sed debitum Regi Christianissimo obsequium fecit, qui, ita supplicante Clero, solemnè edicto mandaverat mense Martio. Ita laudatus Theologus. Ex quibus patet, quam avite Doctrinæ de juribus Pontificis esset adhuc tenax celebris Academiæ anno 1682.

Petes 3. Quem exitum habuerit hæc declaratio? R. 1. Innocentius XI. per litteras in forma Brevis datas XI. Aprilis ejusdem anni 1682. improbavit, rescidit, & cassavit, quæ in dictis Comitibus peracta fuerant, eaque perpetuò irrita & inania declaravit. Alex. VIII. Innocentii successor, ejus vestigiis inhærens, solemniori Constitutione, quæ incipit: Inter multiplices, data 4. Augusti 1690. sic decernit: Motu proprio, & ex certa scientia & matura deliberatione nostris, deque Apostol. potestatis plenitudine, omnia & singula, quæ tam quoad extensionem juris regalæ, quam quoad declarationem de potestate Ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas propositiones in supra dictis comitiis Cle-

ri Gallicani ann. 1682. habitis, acta & gesta fuerunt, cum omnibus & singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, declarationibus, Epistolis, Edictis & Decretis, a quibusvis personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis, quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate & potestate fuissent editis, seu publicatis... ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque & effectu penitus, & omninò vacua ab ipso initio fuisse & esse, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum etsi juramento vallata sint, observantiam teneri... tenore præsentium declaramus & decernimus. Et nihilominus ad abundantiorè cautelam, & contentius opus sit, acta & gesta præfata, aliaque præmissa omnia, motu, scientia, deliberatione & potestatis plenitudine paribus, improbamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque & effectu penitus, & omninò vacuumus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur.“

2. Qui his Comitibus adfuerant, ad sedes Episcopales, sive novas, sive altiores, a Rege Christianissimo nominati, ut diploma Pontificum ab Innocentio XII. obtinerent, supplices ei litteras dederunt ann. 1692. quibus profitebantur se de gestis hujusmodi (nempe Comitiorum Cleri Gallicani ann. 1682.) Vehementer quidem & supra omne id, quod dici potest, ex corde dolere, ac quæcumque in præfatis comitiis, sive circa Ecclesiasticam potestatem, & Pontificiam auctoritatem decreta, sive in præjudicium jurium earundem Ecclesiarum deliberata, pro non decretis, nec deliberatis habere & habenda esse: seriò insuper spondentes, se ita in posterum gesturos, ut nihil penitus de vera eorum erga sanctam Sedem obedientia, ac debito pro juribus ipsarum Ecclesiarum defendendis zelo desiderandum superit. De qua excusationis formula conventum erat inter administratos summi Pontificis & Regis Christianissimi, scilicet Eminentiss. Principes Franciscum Albani, & Balduinum Pontiaci ex parte Pontificis & Casarem Destres, nec non Tussanum Janson de Forbin, ex parte Regis.

3. Cum Rex Christianissimus dato edicto has quatuor declarationis propositiones ab omnibus teneri & tradi jussisset, ipse postea ad eundem Innocentium XII. scripsit, se nuperimè Regium illud edictum, quo in his Cleri Gallicani comitiis edita de potestate Ecclesiastica declaratio firmabatur, ita haberi jussisse, ut neminem ad illius observantiam teneri, perspectum sit, ac exploratum. Hæc sunt Christianissimi Regis Epistolæ verba gallicè: „ Je suis bien aise de faire sçavoir à votre Sainteté; que j' ai donné les ordres nécessaires, afin que les affaires contenues dans mon Edit du 23. de Mars 1682. concernant la déclaration faite par la Clergé de mon Royaume (à quoi les conjonctures d' alors m' avoient obligé) n' auroient de suite. Et comme je souhaite non seulement que votre Sainteté soit informée de mes sentimens, mais aussi que tut le monde sache par un témoignage public, la veneration que j' ai pour ses grandes qualités; je ne doute pas aussi que votre Sainteté n' y réponde par toutes sortes de preuves & de témoignage de son affection paternelle envers moi, &c.“ Hæc & præcedentia legitur partim in opusculo, cui titulus: Romani Pontificis Privilegia, Venetiis 1734. p. 378. & 414. cum approbatione: partim in altero opusculo Hyacinthi Serry De Romano Pontifice P. 266. & 267. partim alibi.

§. IX. Præcluditur communi & præcipuum effugium adversariorum.

Quæcumque huc usque ex Scriptura, Patribus, Conciliis, Pontificibus, Theologis, &c. pro infallibilitate Romani Pontificis protulimus, adversarii accipiunt dicta, non de homine sedente in Cathedra Petri, sed de ipsa Cathedra, de Sede Romana, de Ecclesia Romana, & ut quidam dicunt, quod idem est, de serie & successione Romanorum Pontificum; ita ut sensus sit, Cathedram Petri, Sedem Romanam, Ecclesiam Romanam esse infallibilem, & unquam defecturam in fide: quod si contingat, unum Pontificem defecere, a successoribus emendabitur, sicque fides remanebit semper in Sede Romana, in Cathedra Petri, in Ecclesia Romana. Et in hunc finem laudant illud celebre dictum S. Leonis Epist. 53. ad Anatholium Aliud sunt sedes, aliud sedentes; & quia alioquin, inquit, moriente Pontifice, deficeret, seu periret fides Ecclesie.

Præter illa, quibus jam hinc & inde istam intelligentiam confutavimus, præterquam quòd plura testimonia, quæ protulimus, adscribant infallibilitatem non solum Sedi, aut Cathedræ Petri, vel Ecclesie Romanæ, sed ipsi

si sedenti & ipsi Pontifici, etiã quandoquẽ ejus nomine expresso, præter hæc, inquam, Quæro nunc tantum: quid intelligant per sedem, & Cathedram Petri, seu Ecclesiam Romanam? An, quæ in ambitu urbis Romæ continetur? An Ecclesiam universam, seu Catholicam? Video enim, quosdam intelligere Ecclesiam urbis Romæ, alios Ecclesiam universam: imò eundem modo intelligere Ecclesiam urbis Romæ, modo universam, secundum quod argumentis premitur.

Si intelligant Ecclesiam, quæ in ambitu urbis Romæ continetur, nunquam summus Pontifex aliquid definit ex Cathedra, quia habeat Ecclesiam urbis Romæ consentientem, tùm quia illam consultit in præcipuis ejus membris; tùm quia ipsa definit a Pontifice statim annuit; sicque Pontifex definitens ex Cathedra semper est infallibilis. Si intelligant Ecclesiam Catholicam & universam, contradicunt aperte Scripturæ in tribus locis probatione allatis; in quibus probavimus, dignitatem fundamenti Ecclesiæ, Pastoris Ecclesiæ, confirmatoris fratrum, unde sequitur infallibilitas, soli Petro & non toti Ecclesiæ esse traditam. Contradicunt item Traditioni, & toti retrò antiquitati decretis Conciliorum & summ. Pontificum, Patribus, Theologis, sibi met ipsis. Etenim SS. Patres, Concilia, Pontifices, Theologi, quos laudavimus, ipsimet adversarii dicunt, Ecclesiam Romanam, quam superbe inferorum portæ non vincunt, ad quam perfidia non potest habere accessum, quæ denique agnoscunt infallibilem, esse Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum, centrum unitatis Ecclesiasticæ, unde Sacerdotalis unitas orta est, ad quam omnes Ecclesiæ necesse est convenire, Ecclesiam esse in ea fundatam, & plura similia. Palam est autem, hæc dici non posse de Ecclesia universa, cum præter illam nullæ sint Ecclesiæ. Quid enim aliud est Ecclesia universa, quam omnes Ecclesiæ, simul sumptæ: totum autem non distinguitur a partibus simul sumptis. Non potest ergo dici Ecclesia universa, quod sit Mater & Magistra omnium Ecclesiarum; sicut non potest dici, quod quis sit Pater & Magister sui ipsius; neque quod sit centrum unitatis, sicut omnes lineæ non possunt esse centrum cujusque lineæ; neque quod ab ea Sacerdotalis unitas oriatur, cum ipsa sit Sacerdotalis unitas; neque quod ad eam alias Ecclesiæ convenire necesse sit, cum præter illam, ut dictum est, non sint alix; neque quod Ecclesia sit in ea fundata, alias esset in seipsa fundata. Denique dignetur studiosus Lector attendere ad testimonia, quæ protulimus, vix unum reperiet, quo ista exotica interpretatio non confidatur.

Quantum ad dictum S. Leonis. Indubiè aliud sunt Sedes, aliud Sedentes. Sedes est nomen auctoritatis, dignitatis, & officii: sedens est nomen personæ auctoritatem, dignitatem, & officium obtinentis; eoque significatur, eum, qui habet auctoritatem & officium, non semper agere ex auctoritate & officio; sicque Romanum Pontificem posse non agere ex officio Pontifici, sed se gerere ut privatam personam, quod nihil juvat Adversarios, nec nobis nocet. Ad id, quod addunt de Pontifice mortuo, respondet Cano l. 4. de locis Theol. cap. ultimo, quod, «mortuo summo Pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, & manet in ea Spiritus veritatis; sed manca & diminuta, sine Christi Vicario & Ecclesiæ uno Pastore, relinquatur. Quocirca, licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit (non est in solo Pontifice passivè) at si controversiæ fidei & Religionis oriantur, Ecclesiæ judicium, sine capite in terris, non adeo certa erunt.

Instant. Si per petram & fundamentum intelligatur persona Petri, sequitur inde, quod Petrus non solum fuerit infallibilis, sed etiam debuerit esse immortalis, cum ædificium Ecclesiæ in eo fundatum sit in æternum permanstrum; falsum Conseq. ergo. R. præter solutionem hinc instantis jam superius datam, D. Sequelam: si per Petram & fundamentum intelligatur persona Petri physicè & entitivè, sequitur, &c. C. Si intelligatur persona Petri moralitè, id est, ipsa ejus dignitas, auctoritas, jurisdictio & doctrina, sequitur, &c. N. Sequelam, & ejus probationem. Hæc enim moriente Petro virtute perseverant in Ecclesia, & ad ejus Successores transeunt. Sicut moriente Rege, non perit Regnum, quia remanent dignitas, auctoritas, jurisdictio, quæ transeunt ad Successores.

Petes: utrum, qui propositionem a summo Pontifice damnatam defenderet, esset Hæreticus? R. juxta id, quod diximus initio (infallibilitatem summi Pontificis non esse de fide obligantem) quod non esset Hæreticus, sed temerarius: nisi forte condemnationi Pontificis accederet consensus Ecclesiæ; quia est de fide obligante, quod Ecclesia sit infallibilis in proponendis relevelis.

ARTICULUS VI.

Solvuntur objectiones.

OBJ. præcipue petuntur ex inutilitate Conciliorum, si summus Pontifex sit infallibilis; ex dissidio inter Cyprianum & Stephanum, & ex sententiis Augustini in hanc rem; ex pluribus Pontificibus, qui dicuntur errasse, aut se agnovisse fallibiles, aut quos, plures Ecclesiæ & viri sancti reputarunt fallibiles. Ut hæc omnia ordine solvamus, sit

§. I. Solvuntur objectiones, petiæ ex inutilitate Conciliorum & ex SS. Cypriano & Augustino.

OBJ. 1. Si summus Pontifex sit infallibilis in questionibus fidei & morum definiendis, inutilia sunt Concilia generalia; Falsum Consequens: ergo. Pater Sequela; quia Pontifex hoc ipso quo est infallibilis, potest se solo absque Concilio omnes fidei & morum controversias judicio irreformabili definire: ergo. R. N. Sequelam. Ad prob. D. Ant. Summus Pontifex potest se solo absque Concilio omnes fidei & morum controversias judicio irreformabili definire, & simul potest se solo absque Concilio æquè efficaciter Hæreticorum proterviam reprimere, perinaciam frangere, tumultus sedare, media executioni definitionum idonea providere, N. Et hæc se solo non potest æquè efficaciter, C. & N. Cons. Itaque per se absolute non sunt necessaria Concilia generalia ad certam & infallibilem veritatem definitionem contra Hæreticos. Quot enim Hæreses ante 1. Concilium generale Nicænum, & etiam sæculis temporibus a solis Pontificibus Romanis absque Conciliis generalibus fuerunt irtractabiliter damnatæ? Per accidens tamèn sunt quandoquẽ necessaria, aut saltem valde utilia, tùm ad reprimendam Hæreticorum tumultuantium audaciam, & eorum pertinaciam frangendam; facilis quippè & cum minori reverendi ceditur omnibus, quam unitum ad faciliorem & efficaciorum decretorum executionem, quatenus omnes omnium Nationum Episcopi eis subscribunt, & profitentur se illa amplecti, & illorum executionem suis Diocesanis demandatos. Item melius innotescunt singularum Provinciarum necessitates & mores; quæque media sint unicuique adhibenda ad occurrendum gliescit errorum, & ad legum ac decretorum observantiam promovendam; quod enim convenit Italiae, vel Germaniæ, forè non proderit Gallix, aut Hispaniæ; sicut enim eorum, ita morum est varia complexio.

Hinc occurrunt variis instantis; quas petunt ex convocatione Conciliorum, etiam post jam damnatas a summis Pontificibus Hæreses. Sic Celestinus Hæresim Nestorii damnaverat, sed non extinxerat, propter potentissimos Nestorii amicos & defensores: ideo fuit necessaria convocatio Synodi Ephesinæ, ut opportunis remediis Hæreticorum vesania comprimeretur, Hæresis progressus sisteretur, & Catholicorum fides muniretur. Sic S. Leo in Ep. celebri ad S. Flavianum Eutythianam Hæresim damnaverat; sed quia Dioscorus & alii Latrocinio Ephesino eam rejecerant ut Nestorianam, Flavianum verberibus & plagis affecerant, atque ejecerant, imò & adversus S. Leonem sententiam dixerant, necesse fuit congregari Synodum Chalced. ut hos tumultus sedaret, & tot malis occurreret.

Inst. S. Leo permisit suam Ep. in Concilio examinari, tanquam in pleniori Concilio, ut scribit in Ep. ad Theodorum Imperatorem: & in Ep. ad Theodorem, quæ est 63. gratulatur sibi, quod id, quod prius decreverat, universæ fraternitatis firmaverat assensus: ergo. R. Vidimus art. præced. §. 4. Patres Chalcedon. ante examen jam recepisse Ep. S. Leonis ita & sæpè acclamasse: *Petrus per Leonem locutus est, ita credimus.* Undè postea Epist. jam receptam, amuente S. Leone, examinauerunt; non quod suspicarentur, inesse illi errorem, ut patet, nec quasi haberent auctoritatem illam reformandi, sed ut veritate intellecta & ab omnibus admissa Eutythianorum, qui jactabant illam ut Nestorianam, clamores sisterent, & calumniam depellerent. Vide loco cit. Dixit autem S. Leo *pleniori Concilio*, id est, solemniori, quatenus Patres Chalcedonenses in eadem sententiam cum ipso, tanquam membra cum capite, conspirabant; vel dixit *pleniori respectivè ad Latrocinium Ephesinum*, a quo fuerat appellatum. Gratulatur sibi, quod *universæ fraternitatis assensus firmaverit* suum decretum; non quod crederet ipsum infirmum, sed quia ex hoc universali assensus majus robur ac-

acceperit ad debellandos, & conterendos Hæreticos, sicut dicimus decreta Concilii Nicæni firmari sequentibus Conciliis. Itaque frustra laborant, qui ad infirmam Romanam Pontificis infallibilitatem Concilia generalia congerunt, quæ Hæreses jam a Pontificibus damnatas novo judicio damnarunt. Hujus enim causa fuit, non insufficiens, & fallibilis in Romano Pontifice judicandi potestas, sed Hæreticorum audacia, protervia, contumacia, & facilior definitionum executio.

Obj. 2. S. Cyprianus, doctrina, & sanctitate conspicuus Stephanus Papæ defient, non esse rebaptizandos ab Hæreticis baptizatos, resitit cum pluribus Episcopis Africanis: ergo ipse non cognoscebat, summum Pontificem infallibilem, nec infallibilis tunc habebatur in Ecclesia. R. 1. Quantum ad 1. illatum. Non est mirum, Cyprianum, qui errabat circa Baptismum Hæreticorum, errasse circa infallibilitatem summi Pontificis; familiare est enim hominibus, & humane fragilitati consentaneum, ut qui semel errorem induerunt, quem auctoritate fulsum existant, non agnoscant auctoritatem, a qua proscribitur, hoc delusi principio male intellecto, quod oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Quantum ad secundum illatum, illud nego. Quot enim Episcopi olim Conciliis generalibus Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, &c. resisterunt? Inde ne sequitur, Concilia generalia non habita fuisse infallibilia ab Ecclesiâ?

Dices, hand dubiè hos Episcopos fuisse Hæreticos, Cyprianum autem sanctum. Equidem sanctum, & sanctissimum venerimus; at non quia Stephanus ejus errorem damnatum resitit, sed quia errorem, ut præsumentur, retractavit, unitatem servavit in communione Ecclesiæ obit fuso pro Christo sanguine. His titulis Augustinus ejus culpam attenuat, at non omnino excusat. Vide, quæ Litè de his dicimus in Digress. Hist. ad Dissert. 5. de Sacram. in genere Sect. 3. & 4. sed his omisiss. R. 2. solutione communi, N. utrumque illatum; quia questionem de Baptismo Hæreticorum iterando Cyprianus nunquam apprehendit pertinere ad fidem, sed ad disciplinam tantum; nec illam ut fidei dogma definiit ex Cathedra Stephanus. Duplex itaque questio hic est distinguenda. 1. an invalidum sit Baptisma Hæreticorum? 2. an sint rebaptizandi ab Hæreticis baptizati? Prima est speculativa, & ad fidem pertinet. Secunda est disciplina, & praxim spectat: Stephanus autem, intacta prima questione, secundam prohibuit, jussitque nihil innovari, sed servari antiquam consuetudinem, nihil amplius; idque non per decretum solenne toti Ecclesiæ directum, sed per rescriptum in litteris privatè ad Cyprianum, & collegas; quod sic refert Cyprianus Ep. 74. ad Pompeium (vel eo enim solum illud novimus.) *Si quis ergo a quacunque Hæresi venerit, nihil innovet, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad penitentiam.* Undè Aug. l. 2. de Bapt. c. 19. *Consuetudinis robore, inquit, tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitates.* Nequè etiam illud rescriptum tanquam Sedis Apostolicæ decretum ex Cathedra habuit Cyprianus; siquidem, teste Aug. l. 2. contr. Donat. c. 7. *Non tunc erat diligenter, (Tempore Cypriani) illa Baptismi questio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia.* Quod autem non potuit proponi tanquam decretum Sedis Apostolicæ, & articulus fidei. Undè obiectio non militat contra conclusionem, quæ est de infallibilitate summi Pontificis, loquentis ex Cathedra in controversiis fidei. Hanc responsum multo momentis probavimus Digress. mox cit. Sect. 1. ubi plura, quæ contra obijciunt adversarii, præoccupata, & soluta reperies. Vide.

Inst. 1. Stephanus, definiens non esse rebaptizandos ab Hæreticis baptizatos, supposebat, eorum Baptisma esse validum: id saltem ex definitione inferri poterat: ergo. R. hic non agi de suppositione, vel illatione, sed de definitione ex Cathedra. Quidquid in mente habuerit Stephanus, constat nihil aliud definiisse, quam ut *Nihil innovaretur*, sive teneret de fide, istud Baptisma esse validum, sive tantum ut quid certius haberet. Neque, ut dictum est, id definiit ex Cathedra.

Inst. 2. Riti Stephanus definiens ex Cathedra tanquam fidei dogma, validum esse Baptisma Hæreticorum, & ab ipsis baptizatos non esse rebaptizandos, non debuisset illi acquiescere Cyprianus: ergo. Prob. Ant. ex Aug. l. 2. de Bap. contr. Donat. c. 4. ubi dicit: *Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati; cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore questionis hujus veritas eliquata, & declarata*

per plenarium Concilium solidaretur: ergo, juxta August. solius Concilii plenarii, & non Romani Pontificis, judicio acquiescere tenemur. R. N. Conseq. Sensus namque August. est, quod non auderet asserere, scilicet ut fidei dogma, sicut tunc assererat, cum hæc dicebat contra Donatistas, Baptisma Hæreticorum esse validum, & non esse rebaptizandos ab eis baptizatos, nisi id definitum fuisset in Concilio generali; quia solum Concilium generale id definiat, ut dogma fidei, & non Stephanus, cujus ætate nondam satis eliquata, & discussa erat hæc questio, & qui novitati opponebat tantam antiquam consuetudinem, ut dicit ipse Augustinus. Undè per hæc verba August. non intendit infallibilitatem judicii Pontificis excludere, sed infallibilitatem Concilii asserere. Sicut, si de propositione a Concilio Tridentino definita dicerem: Hinc propositionem non auderem asserere, si a Concilio Trident. non esset definita; male quis inde inferret, me denegare infallibilitatem summi Pontificis, & soli Concilio Trident. tribuere. Nulla enim fit ibi comparatio inter Concilium, & Pontificem, sic ut unum dicatur infallibile, & alter fallibilis; sed sensus planus est: Audeo asserere hæc propositionem ut Doctrinam fidei, quia Concilium Trident. quod est infallibile, eam definiit. Deinde attendendum est ad scopum Aug. S. Doctor agebat contra Donatistas, qui exemplo Cypriani nitentur; contra quos sic arguit ad hominem: si hæc questio fuisset in Concilio plenario eliquata, & definita, S. Cyprianus, ad quem provocatis, illi contra propriam sententiam acquiesceret. Quare ergo, cum jam sit per plenarium Concilium definita, vos non acquiescitis? Quo argumento nullatenus negatè infallibilitas Romani Pontificis. Ceterum Augustinum agnovisse infallibilitatem, non solum in Concilio plenario, sed etiam in summo Pontifice, ausumque fuisse asserere ut dogma fidei, quod nondum in Concilio plenario fuerat definitum, evidentissime patet in causa Pelagianorum, quam ex solo judicio Innocentii I. asseruit esse nullam, nec Pelagianis superesse appellationem ad Concilium generale.

Inst. 3. Aug. l. 1. de Bap. contr. Donat. c. 18. hæc habet: *De Baptismi ergo questione, jam quantum arbitrat, satis disseruit; & quia hoc manifestissimum schisma est, quod Donatistarum nomine nuncupatur, restat, ut hoc de Baptismo pie credamus, quod universæ Ecclesia a sacrilegio schismatis remota custodit. In quantum si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista questione sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum, sincerumque placuisset, humana infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis, sicut scriptum est, quia charitas operit multitudinem peccatorum; quæ enim absente, cætera invidenter habentur: eadem presente, quedam venialitèr non habentur:* ergo ut antè, solum generalis Concilii est infallibile judicium. R. N. Conseq. Loquitur Aug. de causa rebaptizantium pro eo statu, in quo erat tempore Cypriani, quando nec Papa eam definiat quoad Doctrinam, nec aliquod Concilium generale de ea pronuntiaverat (tempore enim, quo loquebatur August. erat definita in Concilio generali, ut ipse sæpè affirmat): dicit itaque, quod in hac hypothesis foret quidem peccatum non acquiescere jussioni Pontificis, & consuetudini generali: sed, si infirmitatis errorem cooperiret charitas, ut in Cypriano (id enim dicit ad ejus aliqualem excusationem) peccatum veniale redderet. Ex quo patet, Cyprianum peccasse resistendo Papæ, quod non jacet adversariis. Dicit item Aug. *Donec universali in Concilio aliquid eliquatum esset*: non quod excludat judicium Papæ; non enim facit comparationem inter utrumque, ut mox dicebam, & alioquin excluderet pariter judicium Ecclesiæ dispersæ, quod non admittunt adversarii; sed quia post Cyprianum causa fuerat definita, non a Pontifice, sed a Concilio generali, & indubiè sufficienter. Non negat autem August. etiam a Pontifice potuisse ultimè definiti, neque id unquam negavit, quin potius contrarium dixeret asseruit in causa Pelagianorum, & alibi, ut vidimus. Undè, si hos, & similes Aug. textus ad nostrum sensum non intelligas, ipsum cum ipso conciliare non poteris.

§. II. Solvuntur objectiones ab exemplis summorum Pontificum, qui dicuntur errasse.

REvocandum est in memoriam, questionem precedere de summo Pontifice, loquente ex Cathedra in Controversiis fidei, & morum: ipsum autem loqui ex Cathedra, quando ex plenitudine potestatis universam Ecclesiam alloquitur, & docet proponendo ei aliquid de fide

divina credendum. Quapropter sive colloquendo, sive disputando, sive interpretando Scripturam, aut Patres, sive consulendo, sive proponendo rationes rei definitæ, sive respondendo litteris, aut consultationibus privatis, propriam opinionem exponat, non loquitur ex Cathedra, neque est infallibilis. Hæc observatione adhibita, ut plurimum evanescent adversariorum argumenta, ex hoc capite petita. Sic itaque primo

S. Petrus, Zephyrinus, Stephanus I., Marcellinus, Liberius.

Obj. 3. S. Petrus dicitur bis errasse in fide: 1. Quando negavit Christum tempore passionis: 2. Quando Antiochia post ascensionem observavit legalia, & Gentes cogit judicare: qua de causa fuit reprehensus a Paulo. R. ad 1. S. Petrum negasse Christum ore tenus, non corde. Itã interpretatur communiter SS. Patres. Et est corde negaverit, nondum erat tunc Pontifex constitutus, nec Ecclesiam universam docebat. Ad 2. Petrus deliquit observando legalia. Non falsi predicatione, sed imprudenter agebat cum aliorum scandalo. Confer, quæ de isto facto scripti in Tract. de Religione Digress. Hist. ad calcem Dissert. 9. Adde, quod, etsi Petrus non habuisset privilegium infallibilitatis ut Pontifex, habuisset saltem ut Apostolus; omnes enim Apostoli illius Spiritus sancti in die Pentecostes sic in fide confirmati sunt, ut nullus posset ab ea excidere.

Obj. 1. S. Zephyrinus ineunte sæculo 3. approbavit insanas Montani, Priscæ, & Maximille prophetias, ex Tertull. l. contra Praxeam c. 1. ubi dicit, Romanum Pontificem (communis putatur Zephyrinus) cognovisse Prophetias Montani, Priscæ, & Maximille, & propterea litteras suas misisse ad Montanistas, quas tamen postea revocavit. R. S. Zephyrinus, purus, putoque Montanista, dum scripsit contra Praxeam, nullam fidem esse adhibendam. Et esto, Zephyrinum errori facti deceptum dedisse Montanistas litteras communionis, fraude detecta eas revocavit. Unde nihil contra nos.

Obj. 3. S. Stephanus decreto suo contra rebaptizantes in errore oppositum lapsus est approbando promiscuè omne Baptisma hæreticorum, etiam eorum, qui non baptizabant in nomine Trinitatis? ergo. R. N. Ant. Quod ex professo, & invictè expugnativus Digress. Hist. ad Dissert. 5. de Sacramentis in genere Sect. 5. requiret.

Inst. S. Cyprianus hunc errorem tribuit Stephano: ergo saltem ipse non crederet, cum esse infallibilem. R. N. Ant. cuius contrarium loco mox citato probavimus. 2. Dato gratis Ant. N. consequ. Potuit enim hunc errorem Cyprianus Stephano tribuere, vel quia putavit eum ex Cathedra non definitivè, & ejus rescriptum pertinere ad disciplinam; vel quia æstu disputationis abreptus aliquid humani erga Stephanum passus est, ut fateatur Augustinus. Confer. R. 1. ad Obj. 2. §. præced.

Obj. 4. S. Marcellinus anno circiter 302. in persecutione Diocletiani thus idolis adolevit in Templo Isis, & Vestæ, teste Baronio in Annal. & ea de causa congregatum fuit Concilium Sinuessanum: ergo. R. 1. Lapsus Marcellini communis ab eruditissimis reputari commentitium, & Concilium Sinuessanum fictitium. Itã Continuatores Bollandi, Tillemontius, Natalis Alexander, Pagi, &c. contranite tamen Cabassurio, & Bino. 2. Sed dato Ant. Quis itã desipiat, ut dicat Pontificem metu mortis thura idolis adolentem universam Ecclesiam docere, ipsi præcipere Idololatriam fide divina credendam? de quo tamen solo est questio.

Obj. 5. S. Liberius subscripsit hæresi Ariane, & damnationi S. Athanasii, cujus causa erat conjuncta cum causa fidei, quatenus erat illius strenuus propugnator, atque communicavit cum Episcopis Arianis: ergo. R. 1. N. Ant. pro 1. parte; sed subscripsit Liberius formulæ secundum se Catholicæ, ut sat prolivè probavi in Digress. Hist. ad Dissert. proem. Tract. de Trinit. Vide. Ad 2. partem Ant. subscripsit Liberius damnationi S. Athanasii, quia existimavit, ejus causam esse a fidei causa sejunctam, & Athana-

sium fuisse damnatum ob delicta, disciplinam, & mores spectantia, de quibus fuerat reverè accusatus. Ad 3. partem Ant. Liberius communicavit cum Episcopis Semiarianis, qui se damnasse Ariam, & esse Catholicos simulabant. R. 2. Dato Ant. quod omnes suas partes: nemo somnabat Pontificem in exilium actum, minis perterrefactum, libertatis desiderio victum, subscriptentem ore tenus formulæ Ariane, & damnationi Athanasii, atque cum hæreticis communicantem, locutum fuisse ex Cathedra, & ex plenitudine potestatis obligasse universam Ecclesiam subscribere Ariano; quod solum tamen hic vertitur in questione.

Zozimus.

Obj. 1. Zozimus Innocentii I. Successor approbavit ut Catholicum libellum Cælestii Pelagiani, in quo aperte negabat peccatum originale; dicebat enim, ut refert Aug. de peccato Orig. c. 2. 3. & 6. quod peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano: quid infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuerit Adam antè transgressionem. Addebat in eodem libello Cælestius: In remissionem peccatorum baptizandos infantes, non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamus, quod longe a Catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur: Libellum hunc, inquam, in quo tam aperte hereses legebantur, a Zozimo dictum fuisse Catholicum, testatur Aug. citat. ergo. R. 1. D. Ant. Zozimus libellum Cælestii, in quo negabat peccatum originale, approbavit ut Catholicum, habita ratione propositionum, & dogmatum, quæ continebat, N. habita ratione mentis, affectus, & modi loquendi Auctoris, qui hunc suum errorem non absolutè assererat, sed ad modum dubitantis tantum proponebat, petens instrui, sensum suum iudicio Sedis Apostolicæ submittens, paratus corrigere quicquid corrigendum iudicaret, C. Nihil autem prohibet, quominus liber sub tali consideratione, quæ perinatiam ab Auctore excludit, possit dici Catholicus. Porro, hujusmodi fuisse libellum Cælestii, constat ex Aug. qui l. 2. ad Bonif. c. 3. refert, Cælestium in libello scripsisse: Non ego quasi Auctor alienius dogmatis definita hæc auctoritate statui, sed ea, quæ de Prophetarum, & Apostolorum fonte suscepti, vestri Apostolatus offerimus probanda iudicio, ut si forte tanquam hominibus quispiam ignorantiæ error irrepserit vestra sententia corrigatur. Et interpellatus a Zozimo de Innocentii litteris, qui Pelagium damnaverat, respondit se eis consentire, & se omnia, quæ Sedes Apost. damnaret, damnaturum promissit. His itaque motus Zozimus, & horum habita ratione, libellum approbavit, atque eod quod unquam falsum dogma probaverit, & peccatum originale negaverit. Hæc responsio est Aug. qui loco cit. sic discurre: Quam tandem Epistola venerandæ memoriæ Papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præcepit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit. Sed cum hoc Cælestium in suo libello possidet inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis, approbata est. Et propterea libellum ejus Catholicum dictus est; quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respicere. Unde quisquis responsionem nostram impugnavit voluerit, prius expugnet Augustinum, necesse est.

Instant tamen 1. Zozimus in Ep. ad Episcopos Africanos scribit. Censuimus, innotescere vestre sanctitati super absoluta Cælestii fide nostrum examen: & paulo post de Cælestii accusatoribus: Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redeclarent aliter sentire, quam libellis, & confessione contexit; aut nihil post hæc tam aperta, & manifesta, que protulit, dubii vestra sanctitas resedisse cognoscit: ergo res examine, & iudicio Zozimi ed redacta erat, ut fides a Cælestio exposita integra, & a Catholica procul dudio haberetur: illud tantum querendum superesset, an probari possit, eum aliter, quam libello dixerat, docuisse. R. D. Consequ. cum Augustino, ut ante. Res iudicio Zozimi ed redacta erat, ut fides a Cælestio exposita haberetur Catholica, habita ratione ejus mentis affectus, & dispositionis, C. Habita ratione dogmatum, N. Patet ex Aug. citat. sicque approbatum fuisse Cælestii libellum intellexerunt Africani, qui apud Aug. libr. 2. ad Bonifacium c. 3. respondent Zozimo, non sufficere hominibus tardioribus, & sollicitioribus, quod se gene-

raliter Innocentii Episcopi litteris consentire fatebatur, sed aperte eum debere anathematizare, que in suo libello præca passuratur: ne, si id non fecisset, multi parum intelligentes magis in libello ejus illa fidei venena a Sede Apostolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat eum libellum esse Catholicum, quam emendata, propter illud quod se Papæ Innocentii litteris consentire ipse respondeat. Ex quibus patet, libellum non fuisse approbatum ratione dogmatum, sed ratione consensu promissit & dati litteris Innocentii. Mirum profectò est, eos, qui tam acriter Augustinum urgent, dum putant eum adversari infallibilitati Pontificiæ, ipsum nolle audire dum Pontificis ab errore excusari.

Inst. 2. Facundus Hermianensis Episcopus huic ævo proximus pro defensione trium Capitulorum l. 7. c. 3. memorat. B. Zozinum Apostolicæ Sedis Antistitem, contra S. Innocentii decessoris sui sententiam, fidem ipsius Pelagii, ejusque compluris Cælestii tanquam veram & Catholicam laudantem, insuper Africanos culpantem Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur: ergo. R. Facundus Hermianensis viro Schismatico, trium Capitulorum pertinaci defensori adversus V. Concilium generale, nullam esse fidem adhibendam, sed audiendum August. qui in ea ipsa causa fuit actor contra Cælestium.

Inst. 3. ex ipsomet Augustino libr. 2. citato ad Bonifac. c. 3. ubi postquam excusavit Zozimum, dicit: Sed si, quod absit, ista tunc (post acceptas scilicet Concilii Africani litteras) fuisset de Cælestio & Pelagio in Romana Ecclesia iudicatum, & illa eorum dogmata, que in ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbata & tenenda promissurarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis Clericis inuendenda: ergo supponit Augustinus possibile esse, ut erret Romanus Pontifex iudicium, approbando hæresim. R. N. Cons. Modus enim iste loquendi hypotheticus non indicat rem possibilem; sæpè enim sic loquimur de rebus, quas scimus impossibiles, ut cum trivialiter dicitur: Si calum caderet, &c. Undè & quandoque adijcimus, Si per impossibile id contingeret, &c. Quo sensu dixit Apost. Galat. 1. Si Angelus de celo vobis aliter evangelizet, anathema sit. Ex quo non sequitur, quod Paulus crediderit Angelum posse aliter evangelizare. R. 2. ad principale argumentum. Datis omnibus hæc usque objectis, nihil sequitur contra nos. Constat enim Zozimum approbatum privatum libellum Cælestii, & scribentem privatas litteras ad Episcopos Africanos, universam Ecclesiam non fuisse allocutum, nec eam obligasse ad credendum fidei divina non dari peccatum originale, sicque non fuisse locutum ex Cathedra, sicut postea locutus est, quando, fraude detecta, Pelagium & Cælestium solemnè Decreto condemnavit, missa ad omnes totius orbis Episcopos condemnationis Epistola, quæ communiter dicta est Tractoria.

Hormisdas, Vigilus, Honorius.

Obj. 1. Hormisdas condemnavit ut hæreticam hanc famosam propositionem: Unus de Trinitate passus, & crucifixus est carne, a Monachis Scythis & pluribus aliis assertam, quam tamen Joannes II. ejus Successor in Ep. ad Justinianum Imperatorem & Synodum V. Can. 16. approbavit: ergo. R. N. Ant. Pro prima Parte; non enim Hormisdas hanc propositionem damnavit ut hæreticam, sed eam rejectit ut intempestivam, inquietam, & multarum disputationum causam, seu potius omnino iudicio de ipsa propositione objurgavit ejus intempestivos assertores, Monachos Scythias, qui tanta pertinacia illum tuebantur, ut Nestorianismi accusarent, quotquot illi subscribere recusabant; & ideo in Ep. 70. ad Possessorem vocat eos, non hæreticos, sed turbulentos, pertinaces, contentionum studiis assuetos, novarum cupidos questionum, &c. R. noster Serry, dato, Hormisdas damnasse hanc propositionem ut hæreticam, quod eam sumpsit in sensu formali & duplicativo, quo sensu est Euthychiana, Christus enim non est passus & crucifixus, formaliter & duplicative ut Deus & una de Trinitate persona: Joannes autem II. & Synodus 5. a quibus probata est, eam sumpsit in sensu materiali & specificativo, & per communicationem idiomatum; atque ita Catholicum iudicavit, quia secunda Trinitatis persona naturam illam humanam assumpsit, quæ & passa & mortua est.

Obj. 2. Vigilus Papa modò probavit, modò improbatum tria famosa Capitula, quæ pertinebant ad fidem; erant enim facta dogmatica: ergo. R. De causa trium Capitulorum & de Vigilio plusquam satis dixi Artic. 7. præ-Ticol. Billuart. Secunda Secunde.

ced. Diss. §. 4. require. Unica restat instantia contra id, quod dixi, Vigilium nunquam probasse tria Capitula quantum ad sensum obviæ textuum, sed tantum veritate, ne damnarentur appellatis nominibus Auctorum. Igitur

Inst. Vigilus in sua Constitutione de Ibe Epistola dicit Ipsam rectissimo & piissimo sensu intellectam irreprehensam manere: ergo. R. Vigilium non dixisse Ibe Epistolam, sed fidem irreprehensam manere; quia scilicet in Concilio Chalced. mentem suam aperuerat, & quæ in hac Epist. contra Cyrillum errore facti scripserat, retractaverat, ut dixi loco cit. En verba Vigilii in suo Constituto Tom. 5. Concil. Labb. Col. 372. Ex verbis Epistole Viri venerabilis Ibe, rectissimæ, ac piissimo intellectu perspectis, & ex gestis apud Photium & Eustachium habitis, & ex ipsis Ibe Episcopi a presentibus intentione discussa, Patres nostros in Chalcedone residentes, justissimè orthodoxam ejus Viri venerabilis Ibe Episcopi pronuntiasse fidem, & reprehensionem Cyrilli, quam humanitas per errorem intelligentiæ evenisse cognoverant, congrua satisfactione purgavit. Quando ergo Vigilus ex Epistola Ibe rectissimo & piissimo intellectu ejus fidem orthodoxam fuisse pronuntiat, id intelligit, ut patet, habita ratione explanationis & retractationis injuriarum in Cyrillum, quam presentibus Patribus Chalcedonensibus fecerat. Cætera, quæ spectant hanc causam, require loco cit.

Obj. 3. Honorius Papa fuit damnatus ut hæreticus in 6. Synodo Œcumenica: ergo. R. 1. D. Ant. Honorius fuit damnatus ut hæreticus sententia, N. Ant. Ut hæreticus favore, id est, ut fautor hæreticorum, quatenus jussit taceri voces unius, vel duplicis voluntatis & operationis in Christo, C. Hinc responsonem multis & gravissimis momentis probavimus; & alia, quæ spectant Honorium, posuimus in Digress. hist. ad Dissert. 4. Tract. de Incarn. Sect. 4. adeat Lector: omnia enim hic repetere non vacat. Unam dumtaxat illic omisimus instantiam, quæ tunc non occurrerat, Undè

Inst. Honorius non solum vocem, sed etiam sensum duplicis operationis rejectit; eam in Ep. 2. ad Sergium que lecta est in 6. Synodo Act. 13. dicit: Unius autem operationis, vel duarum esse, vel fuisse mediatores Dei & hominum Dominum Jesum Christum, sentire & promovere satis ineptum est: ergo. R. D. Ant. Honorius rejectit absolute sensum duplicis operationis, N. Rejectit in ordine ad promendum, C. Patet tunc ex adjuncto vocabulo sentire & promovere: tunc ex tota serie utriusque ejus Epistolæ ad Sergium, in quibus nihil aliud urget, quam ut taceantur voces unius, vel gemine voluntatis & operationis, ad sedandos tumultus & contentiones: tunc quia non jussit doctorem, qui duplicem operationem acriter defendebat, hunc sensum exuere, sed tantum ab eo missos monuit, ne duarum operationum vocabulum deinceps usurpare niteretur, ut ipsemet refert in eadem Epist. 2. ad Sergium: tum denique, quia, si ex his verbis sequitur, Honorium rejectisse sensum duplicis operationis in Christo, sequitur pariter, cum rejectisse sensum unius operationis; quia de utroque in his verbis loquitur, sicque eum nec unam, nec duas operationes in Christo agnovisse, quod est plane absurdum. R. 2. ad Objectionem. Dato, Honorium damnatum fuisse ut hæreticum; fuit utique hæreticus ut homo privatus, non ut Pontifex loquens ex Cathedra; errorem enim docuit, si docuit, non Constitutione solemnè ad universam Ecclesiam directam, qua illam ad credendum fidei divina falsum dogma obligavit; sed ex privata sententia, per privatas litteras, privato nomine scriptas & ad privatos directas. Quod patet, tum ex litterarum inscriptione, quæ est ad Sergium; tum quia non nisi annis ferme quadraginta post mortem Honorii ex Archivo Constantinopolitano extractæ sunt; antè quod tempus vix erant cognite, sive in Oriente, sive in Occidente.

Inst. Honorius, de fide consultus a tribus Patriarchis, scilicet a Sergio Constantinop. Cyro Alexandrino, utroque Monothelita, & Sophronio Ierosolymitano orthodoxo, respondens docet errorem, eis mandat, ut hunc doceant & ejus falsa dogmata roto Oriente vulgarent: ergo locutus est ex Cathedra: ergo. R. omisso Ant. in quo multa falsa supponuntur (falsum namque docet, Honorium docuisse errorem, & mandasse illum doceri; non enim docuit esse unam voluntatem in Christo, sed tantum tacendam esse vocem unius, vel duplicis voluntatis, quod est œconomizæ, & non dogmatis; falsum proinde ejus dogmata falsa jussa ab eo in toto Oriente vulgari) sed his inquam omissis, quorum restitatio videri potest Digress. superius citata in Tract. de Incarnat. N. Consequ. Quæ enim adferuntur in Ant. non sufficiunt, ut Papa dicatur loqui ex Cathedra; sed requi-